



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

90. Timoleon Princeps sæcularis pessimè facit contra immunitatem
Ecclesiasticam, Clericos in Minoribus tanquam Laicos tractando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

uanda obstant, & hæc arbitrio Episcopi remittantur à Tridentino *sess. 23. c. 11.* nihil omnino vetat, quò minùs Timotheus abstrahendo etiam à consuetudine Germaniæ Minores Ordines & Subdiaconatum eodem die conferre ijsdem possit, & ita sæpè factum esse in Hispania, testatur Palao *lo. cit.* & ait Vasquez, se aliquos vidisse Episcopos idipsum factitasse.

Ad 1. in contrarium dicimus cum cit. Doctoribus *in cit. cap. 2.* puniri solùm vt suspensum, qui susceptis Minoribus postea furtiuè & contra mandatum Episcopi Subdiaconatum eodem die accepit. Ex quo minimè sequitur, Episcopum non posse licitè conferre ijsdem Ordines Minores & Subdiaconatum eodem die: aut sic ab eodem volente ordinatos suspendi. *Ad 2.* Tridentinum *sess. 23. c. 13. & c. dilectus, de tempore Ordinationis* loquitur solùm de duobus Ordinibus sacris, seu Majoribus. Ex quo iterum non sequitur, Minores & Subdiaconatum ijsdem conferri eodem die non posse. *Ad 3.* Talem consuetudinem siue in Germania siue in alio regno non esse introductam, vt vim legis habeat, quod nominatim testatur P. Præpositus *in 3. part. quest. vni. de Sacram. Ordinis. dubit. 15. n. 151.*

XC. Timoleon Princeps secularis & Catholicus in ditioe sua Clericos in Minoribus constitutos prorsus æquiparat Laicis in rebus ac nego-

zhs civilibus, ratus eos nō gaudere privilegij Clericorum in Maioribus constitutorum, cum tamen illi requisita Concilij Tridentini obseruent. *Quæritur.* Rectēne faciat Timoleon?

Videtur benefacere. Ita Pereira de manu Regia P. 2. c. 33. n. 2. relatus apud Dianam. P. 4. Tr. 1. Ref. 20. Mouetur. Tum quia passim ita consuetudine est receptum. Tum quia Ordines Minores nō sunt sacramenta, vt docent Magister, Durandus, Nauarrus, Mich. de Medina, & alij, quos sequitur Vasquez D. 2. 37. cap. 2. Cur ergo eandem immunitatem conferāt, quā Ordines Maiores, qui ex omnium Doctorum sententia sunt sacramenta.

Resp. Timoleonem malè facere contra immunitatem Ecclesiasticam. Ita ex communi aliorum DD. Suarez l. 4. contra Regem Angliæ c. 26. n. 3. Probatur. Tum ex c. 2. de foro compet. & c. cum non ab homine, de iudicijs. Tum quia Concilium Tridentinum sess. 23. c. 6. absolutè & absque vlla distinctione asserit, prædictos clericos, si nonnulla obseruent requisita, gaudere privilegio fori. Ergo non solum in criminalibus, sed etiam in civilibus; imò etiam si non obseruent ea, quæ Tridentinum requirit, nihilominus gaudent privilegio Canonis, & probabiliter exemptione gabellarum: vt docent Molina Tom. 3. Tr. 2. D. 270. n. 5. Lessius l. 2. c. 33. dub. 5. n. 38. & alij.

Ad 1. in contrarium dicimus cum Peregrino

de immunit. Eccles. c. 2. n. 24. omnes consue-
tudes trahendi Clericos etiam in causis ci-
uilibus ad Magistratum Laicum à Tridenti-
no & alijs iuribus reprobatas esse, nisi con-
sensum & tolerantiam approbatiuam Summi
Pontificis sibi habeant adiunctam. Ad 2. Ra-
tionem Sacramenti impertinenter hîc addu-
ci, cum non pauci absque vlllo sacro Ordine
gaudeant immunitate Ecclesiasticâ; sunt eti-
am, qui nec in Episcopatu, nec in Diaconatu
& maximè Subdiaconatu Sacramentû agno-
scant, nemo tamen idcirco Subdiaconum po-
testati Sæcularium subijciet. Cæterum etiam
Minores quatuor Ordines scil. Acolythi, Ex-
orcistæ, Lectoris, & Ostiarij esse Sacramen-
ta, cõmunior sententia docet apud S. Thom.
3. part 9. 22. art. 2. Card. Bellarm. de Sac. Or-
dinis. c. 6. 7. & 8. Layman l. 5. Tr. 9. c. 4. circa
finem, & alios. Non obstat, varietatem fuisse
in Ecclesia in prædictorum Ordinum enume-
ratione. Nam factum est hoc, quia non satis
explorata erat eorû institutio, semper tamen
ab initio Ecclesiæ non solùm officia horum
Ordinum, sed etiam eorum nomina cognita
fuerunt, vt expressè testatur Tridentinum sess.
23. c. 2. indicans, à Christo Domino institu-
tionem illorum dimanasse, tametsi non fuerit
eorumdem distinctio cognita.

XCI. Tetradius in Iubilæo anni 1656. à die 22.
Octob. vsq; ad 19. Nouemb. ieiunauit in perui-
gilio

SS. Apo